

Petrus de Vinea

*Ep. II 38 (Ad compassionis
nostrae precordia...)*

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali
sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

Petrus de Vinea

*Ep. II 38 (Ad compassionis
nostrae precordia...)*

agosto 1240–aprile 1241

Magistro iustitiario, super exactione collectae, narrando, qualiter scribit super hoc fidelibus suis

1. Ad compassionis nostrae precordia, uelut quaedam acuta uenabula transeunt uniuersitatis uestrae grauamina, quae pro nobis tanta fidei puritate suscipitis, tanta deuotionis integritate portatis, nec solummodo uobis ex illa causa compatimur, quod et nos ipsi dolemus Regni nostri filios extra Regnum uexari laboribus et dispendiis affici, quam ex ea, quod oppressiones huiusmodi nobis et uobis ex inopinato proueniunt, ut, dum portum nostrae nauigationis attingere credimus, et exuberante malitia temporis ad remotiora multotiens reducamur. 2. Dudum etenim, cum ex defensione multarum urbium et locorum ad nos confugientium, quae Mediolanensis nequitia confouebat, tum ex campestri uictoria, per quam tam strage quam carcere plurimorum ipsorum superbiam, exercituum Domino faciente, munificentia nostra calcauit, tum ex uniuersalis uastationis gladio, qui nullum nostrorum rebellium penitus dimisit intactum, in tantum eosdem ad extrema deduximus, quod continue uerbum deditionis ab eis nostra serenitas expectabat; et necessario haec dixissent utcumque, nisi quod nequitiae pontificalis elatio contra nos, ueteris odii exagitata stimulis et innatae superbiae uentis inflata, uitae quodammodo spiritum mortuis insufflauit, processibus nostris quantumcumque potuit, licet parum potuerit, se nequiter opponendo. 3. Sed huic etiam morbo nuperrime reperisse credidimus medicinam, dum, ad multorum ex fratribus suis multam instantiam, uerbum pacis ab eo cum suauitate recepimus, et propter treugas a maiestate nostra promissas expugnandos quam ad recipiendos ad gratiam excellentiae nostrae rebelles, recto diametro

direximus gressus nostros. 4. Sed aduersus sui ueneni nequitiam tiriaca nostra non ualuit, nec medicina profecit, quin per digressum nostrum securitate recepta, tractatae pacis oblitus, ad discordiam se conuertens, contra nos peiora prioribus moliretur, et in rebellium nostrorum Fauentinorum exitium, qui de captando fauore nostro nobiscum tractare iam ceperant, per angelos suos malos, fratres Predicatores et Minores scilicet, quibuscumque presidiis potuit confouendo Venetos ad destructionem maritimae Regni nostri, uenenosis armando consiliis, ut nos ab instanti uictoria reuocarent. 5. Nos autem ad expugnandam Fauentinam ciuitatem, tamquam ad dissoluendum totius colligationis nodum et unicum obstaculum remouendum, per quod totius uictoriae nostrae rete connectitur et uelocitas prepeditur, instantissime uidimus finaliter insistendum. 6. Qua ciuitate, faciente Domino, cum se uerni temporis opportunitas dederit indubitabiliter expugnata, cum de obtentu Bononiae postmodum nullatenus dubitetur, sic ad exterminium nostrorum rebellium continuatis excellentiae nostrae uiribus, uelut propterea residuo ducatus Marchiae et nostris titulis accedente, uia nostris processibus aperitur, ut postmodum presentis guerraе uictoriae, necessario presentia personae nostrae non egeat et effusionem tantorum operum et labores tot hominum non requirat. 7. Ad obtinendum igitur de tam memorabili pugna triumphali triumphum, quae iam ad uesperum declinauit, deuotionis uestrae subsidia secure requirimus, quae sic prompta nobis ad futura credidimus, ut pro uictoriae desideratae letitia, uos non attenuatos opibus nec laboribus fatigatos, sed recentes ad subuentionis nostrae suffragia credimus reperire. 8. Nec tamen uoluimus in tantum ad indefensam

promptitudinem fidei uestrae respicere, quin uelimus eamdem prouidentiae nostrae modestia moderari, ac prius nobis ipsis in parte deficere, et necessitates insolitas sustinere, quam uos grauis et inconsueti grauaminis pondere pregrauare, utpote qui ad istud etiam exigendum, teste nobis Altissimo, prouocamur inuiti, et a quo libentissime nostra serenitas abstineret, si sine confusione perpetua nostri nominis et honoris, quam fidei uestrae perfectio nullo modo pateretur, abstinere possemus. 9. Tu igitur inter eos prouidentiam et modestiam nostram, quam respectu preteritarum taxationum habemus, in eis fauorabiliter studeas et cum omni diligentia publicare, cum multo minorem quantitatem subuentionis ab uniuersis exigere mandemus ad presens ecclesiarum et clericorum necnon et feudorum nostrorum et de Cameris feudatariorum in ipsa collecta subsidiis computatis, prout cedula continet interclusa, quam a demaniis nostris tantum serenitas nostra exigere consuevit. Expositurus ipsis, nichilominus uotum nostrum, quod ex hoc modico libenter ad nichilum ueniremus, si post obtentam uictoriam negotiorum nostrorum expeditio pateretur. 10. In taxatione preterea determinati subsidii, quod iurisdictioni tibi decretae mandamus imponendum, contra solitam impositarum collectarum nequitiam, sic agas fideliter, sic distincte, sic ut umquam gratiam nostram diligis et indignationem perpetuam desideras euitare, nullius personam ex amore uel odio prospecturus, ut negotium istud, quod prouidentiae tuae cum summa fiducia committi decreuimus, ad honorem culminis nostri et alleuiationem prouidam nostrorum tam celeriter quam fideliter compleatur.